



# The Holy See

---

PIUS PP. X

EPISTOLA

***QUA PONTIFEX COMMENDAT SODALITATEM AD ADULESCENTULAS TUTANDAS\****

DILECTO FILIO

HENRICO ALOISIO ODELIN, VICARIO GENERALI PARISIENSI  
AC PRAESIDI OPERIS AD ADOLESCENTULAS TUTANDAS - PARISIOS

*Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Cuius moderator es operis, ad adolescentulas nempe tutandas, praesertim populares, grate admodum iucundeque enarrasti Nobis miros ab ortu processus. Quae enim sodalitas medio saeculo superiore modicis initiis est excitata, eo nunc nobilitate atque emolumento rei est adducta, ut universum fere per orbem innumerabili adolescentium multitudini opituletur. Tam ubere fructuum copia, quibus non modo externa puellis comparatur utilitas, verum etiam animorum bono integritatique prospicitur, magnopere gaudemus, tibi ac singulis praestantissimi operis sociis enixe gratulamur. Quod si deerrantes ad virtutis normam revocare laudi vertimus, probandum commendandumque multo magis arbitramur caritate et cautione animorum discrimini occurrere. Haec vos persequi commoda diligentia summa studetis, plurimasque licet inde adolescentes spectare, in quibus vitae innocentia curis vestris effulgeat, tunc temporis profutura maxime quum gravissima ipsis demandari vitae munia contingat. Placet idcirco vota Nostra ad maiora sodalitatis incrementa convertere, Deumque dum obsecramus ut vestris conaris benignus adspiret, fideles omnes, quotquot caritatem animis aiunt, hortamur uti coetui velint opem afferre, hominumque societati adiumento sint, datis virtuti tuendae subsidiis. Auspicem divinorum munerum Apostolicam Benedictionem tibi ac ceteris, qui laudatam tecum operam navant, peramanter in Domino impertimus.

*Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Aprilis MDCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.*

**PIUS PP. X**

---

\*AAS, vol. XXXIX (1906), p. 22-23.

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana